



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 102. Dicit ei Pilatus quid est veritas. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

vitia tenebrarum sequacia. O Domine bene prosperare, prospere procede & sic æternum regna.

§. 101. *Omnis qui est ex veritate, vocem meam audit. v. 37.*

Continuat Christus coram Præside probare suam spiritualem regalitatem, quæ est in subiectione aliorum per veritatis inculcationem & sequentem deinde obedientiam, qua vigente iam clare Christus regnat. Quid igitur novi dicit Dominus hic quod ante non dixerat? Hoc. Duos modos ingrediendi animos se tenere, unus est in infantibus per regenerationem & alius in ratione utentibus per Prædicationem, & hoc utroque Gratiæ modo Christus omnes homines sibi subiugare potest, & nunc subiugat, & subiugavit regna omnia cum illo tamen discrimine, quod felicius sit regenerari infantem, quam converti per prædicationem. Quia regeneratus ex aqua & Spiritu S. habet pondus trahens ad intelligendum & credendum, & obediendum nempe habitus infusus in baptismo, quos non habet adultus ex infidelitate convertendus per Prædicationem, quinimo hic habet in se pondus trahens, nempe corruptæ naturæ assuefactionem in contraria fidei dogmata, & contraria caritati opera.

Domine Iesu, Salvator mundi, mirabilia sunt verba tua, seu testimonia tua, propterea ea gustans amplius ea exquiram & scrutabor, quia sunt verba vitæ, & vitam haurimus ex ipsis, imo sunt Spiritus & vita. Ioan. 6.

§. 102. *Dicit ei Pilatus quid est veritas. v. 38.*

Cum tam alta loquentem ac de veritate nominatim audiret Pilatus quodque in ea Christi regnum fundatum esset, non omisit interrogare, quid ea esset, hoc enim penetrato, tota ratio regni Christi videbatur esse elucidata.

O Pilate bene facis quod quæras quid sit veritas, sed fortasse melius faceres, si nõ tam definitione eius interrogares, quã proxim assequendi veritatẽ. Bene tamẽ quæris, & Philosophi etiã in Metaphysicis hoc quærun, & dicunt quod sit proprietas Entis. omne enim Ens bonũ, verum & unũ est. Dicunt etiã ulterius quod veritas ista sit ipsũ ens quidẽ, sed insuper involvat aliquod connotatum respiciendo intellectum, cuius Ideæ cum ens est conforme verũ dicitur, cum vero discrepat, falsum dici solet. Valde igitur subtilem rem quæstisti Pilate, nam omnis res, si divino iudicio conformetur veritatem tenet, si difformis sit, falsitatem habet, & hoc Christus egit & agit hodieque ut res omnes divino iudicio & voluntati conformentur,

K

in hoc

in hoc est regnum eius. Apte igitur quaesisti, sed praxin indispicendi talem veritatem male neglexisti.

§. 103. *Et cum hoc dixisset iterum exiit ad Iudeos. v. 38.*

Post interrogationem istam; quid sit veritas? Promptum Christi animus ad respondendum videns Pilatus, vel impatiens morae, vel satis habens ad intelligendam Christi innocentiam vel Dæmone stimulante nec verbis Christi de iustitia & veritate plenius erudiretur, & ne tangeret eius conscientiam, vivis ac certis argumentis & rationibus, quibus respondere non posset, cogitavit liberare eum de manibus Iudæorum, innocentiam eius publicè declarando, exiit ergo è loco interrogationis suae ad Iudeos foris eius declarationem expectantes, non expectato Christi responso, quod multi legentes dolere solent, qui veritatem scire desiderant.

Quam multi sunt, qui hodie dum sic agunt, uti Pilatus, disceptationem cum religioso homine vani, cum Catholico acatholici, cum pio dycolis incipiunt, sed mox vel nausea talium rerum vel metu ingratarum veritatis audiendae desistunt, & se subducunt, viam ad Christi regnum aperant occludunt sibiipsis, & quid mirum est si postea pereunt.

§. 104. *Et dixit: Ego nullam invenio in eo causam. v. 38.*

Quaquam non audierat Iesum responsum de veritate Pilatus, tamè ex promptitudine Domini ad respondendum, ut dixit & non ignarus malitiae Iudaicae, & ex ipso vultu Domini collecta modestia & innocentia, prodit ad Pontifices Iudæorum & conglomeratam multitudinem fortis stantem, morae impatientem, murmurantem à longa Praetoris cum reo confabulatione, ne forte vinceretur; dixit: *Examinavi hominem de criminibus obiectis, nihil in eo criminis invenio: doctrina eius irreprehensibilis est, & vita eius inculpabilis nec à quoquam vere peccati accusatur, quibus verbis clare Christum non tantum absolvit praeses ab eo crimine quo accusatus erat, sed generaliter dicit, Ego nullam invenio in eo causam.* Magnum sane innocentiae Christi testimonium, praesertim ipsius, qui ipsum postea crucifixus. Nec semel tantum, sed saepe in ipso iudicio datum & repetitum. Nec oscitanter praetereo, quod accusatus à suis, excusatur ab extraneis, sic enim futurum erat ut Iudaeis blasphemantibus eum, gentiles quandoque Christum summo studio susciperent & glorificarent, his ad gloriam & honorem, illis in vituperium & damnationem. Sed quaeri potest cur Praeses Christum non liberavit cum nihil criminis invenerit in eo? & cur impio